

# FASTI ATTICI

I N Q U I B U S

# A R C H O N T U M

A T H E N I E N S I U M S E R I E S

PHILOSOPHORUM, ALIORUMQUE ILLUSTRIMUM

V I R O R U M A E T A S

Atque praecipua Atticae Historiae capita per Olympicos  
annos disposita describuntur


NOVISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRANTUR.

A U C T O R E

# EDUARDO CORSINI

CLER. REG. SCHOLARUM PIARUM

IN PISANA ACADEMIA PHILOSOPHIAE PROFESSORE.



FLORENTIAE MDCCXLIII.

Ex novo Typographio JO. PAULI GIOVANNELLI ad Insigne  
PALMAE in Platea S. ELISABETH.

PRÆSIDUM PERMISSO.

# THE HISTORY OF THE

REIGN OF

# CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

OF

OXFORD

# IN TWO VOLUMES

THE SECOND

VOLUME

AND

THE

CONCLUSION

OF

THE



Niversum Opus duas in Partes distributum  
erit. Pars Prima, quae *Apparatus ad Fastos  
Atticos* inscribi, censeri que poterit, XII.  
Dissertationes hoc ordine complectetur

I.

In I. Dissertatione de variis primum imperii formis agendum erit, quae Athenis partim sub Regibus, partim sub perpetuis Archontibus, atque postremo sub decennialibus floruerunt, donec, sublatis illis, Archontes annui sunt instituti: deinde vero de Archontum istorum origine, numero, nominibus, dignitate, ornatu, variisque muneribus, atque praesertim de Archonte Eponymo differetur, cujus nimirum nomine civiles Atheniensium anni distingui, vel numerari solebant; ut ille proinde Fastis inscribi, atque ab Historicis, aliisque Graecis Scriptoribus tanquam perspicua temporis nota memorari consueverit.

II.

In II. Ostendetur quodnam fuerit variis temporibus Archontici anni principium; quo nimirum civilis anni mense Archontes annui magistratum illum susciperent; obiterque plura de civilis Attici anni forma, quantitate, mensium cavorum ordine, &

❁ ( IV. ) ❁

exemptilium dierum sede contra Scaligerum, Petavium, Petium, ac Dodvellum demonstrabuntur.

I I I.

In III. De Prytaniis, sive dierum numero differetur, quo singulae Atheniensium Tribus in anno civili certo quodam ordine successive imperare, vel Populo praesidere consueverant; atque illa Prytaniarum series, & Tribuum ordo, quem ex Demosthene, aliisque Scriptoribus omnium primus investigavit, fuseque exposuit Dodvellus, omnino falsus ostendetur; simulque varia Demosthenis, aliorumque loca commode corrigentur, aut illustrabuntur.

I V.

In IV. Vera Tribuum Atheniensium series Eruditis omnibus haecenus incomperta proponetur, eademque veterum Scriptorum testimoniis, pluribusque Graecis Inscriptionibus confirmabitur. Prytaniarum vero, vel Tribuum *πρυτανευούσων* ordinem sigulis annis diversum, unice fortis arbitrio commissum fuisse contra Dodvellum variis rationibus, & exemplis etiam ostendetur.

V.

In V. De Prytaniarum Proëdris, atque Epistatis, duplicique tum Epistatum, tum Proëdrorum genere, variisque ipsorum muneribus differetur; obiterque illustria quaedam Laërtii, Josephi, aliorumque Scriptorum loca corrigentur, simulque Atheniensium ritus, ac formulae in ferendis legibus, edendisque Decretis contra Sigonium, Petavium, ac Dodvellum demonstrabuntur.

V I.

In VI. De Pseudeponymis Archontibus agendum erit, iis nimirum, quorum nomina publicis quidem Decretis adscripta conspiciuntur, neque tamen ad Eponymorum Archontum Factos referri possunt: atque ubi Dodvelli sententia perspicue confu-

## ❁ ( V. ) ❁

futata fuerit , qui Pseudeponymos Archontas illos non aliud esse arbitratur , quam Prytaniarum Epistatas , duplex altera , verisimilior opinio proponetur , variisque rationibus confirmabitur .

## V I I .

In VII. Pseudeponymorum Archontum omnium series contextetur , & singulorum aetas ita explorabitur , ut ipsorum quilibet ad annum illum olympicum referatur , quo Pseudeponymi , sive suffecti Archontis munus obtinuit . Hinc XXIV. Archontes , qui tanquam Eponymi a Meursio , Lydiatto , & Dodvello Fastis adscripti fuerant , ex Fastis ipsis , tanquam Pseudeponymi , expungentur ; simulque plurima Scriptorum loca , atque Atticae Historiae capita hactenus perplexa , vel ignorata illustrabuntur .

## V I I I .

In VIII. De Scriptoribus , ac monumentis illis agetur , ex quibus Eponymorum Archontum nomina , & series inquiri , ideoque illorum praesidio Fasti contexti possint ; atque ubi lacunae quaedam tum in Diodoro Siculo , tum in Dionysio Halicarnasseo indicatae , riteque suppletae fuerint , Dionysii series ita cum Diodori serie comparabitur , ut illarum utraque tum in Archontum numero , tum in illorum situ in olympicis annis omnino conspirare ostendatur : Arundelliani vero Marmoris epochae , vel Archontum series in illo designata ita cum Fastis aliis committetur , ut hanc aliquando cum illis conciliari posse , aliquando vero corrigendam esse ostendatur .

## I X .

In IX. Archontes Eponymi X. , qui a Sigonio , Meursio , Lydiatto , Dodvello omissi in Fastis omnibus hactenus editis desiderantur , ex veteribus Scriptoribus partim illustratis , partim etiam emendatis eruentur .

X.

In X. Eponymi Archontes alii XXII. ex variis Graecis Marmoribus proferentur, qui ab omnibus omnino Fastorum Scriptoribus praetermissi, Fastis ipsis adungi debent.

X I.

In XI. De Atheniensium Nummis agetur, de symbolis, atque nominibus, quae Nummis ipsis inscripta conspiciuntur: Goltzii, Nonnii, Spanhemii, Lazii, Begeri, Haymi, Harduini, aliorumque sententiae expenduntur: atque, in hypothesi quod Archontum Eponymorum nomina Atheniensium Nummis inscripta fuerint, XL. Eponymi Archontes alii Fastis adiungentur.

X I I.

In XII. Omniumque postrema Differtatione series, & ordo ostendetur, quo Fasti Attici, sive II. Operis Pars contexta fuerit; quid in Fastis ipsis expressum, suisque temporibus, vel olympicis annis adscriptum sit; quis illorum usus in Graeca Historia, in illustrium Virorum, praesertim vero Philosophorum aetate exploranda esse possit; qua denique ratione in Graecis, Latinisque Scriptoribus invicem conferendis Urbis Conditae anni cum olympicis annis committi debeant.

Pars II. *Fastos Atticos* juxta temporum seriem digestos ita complectetur, ut initio ducto ab anno 3. Olympiadis VI., quo Charops decennalium Archontum primus Athenis imperare coepit, simulque Urbs Roma condita fuit, quolibet Olympiadum, simulque V. C. anno, qui margini adscribetur, exprimatur Archontis Eponymi nomen, simulque Regis, Dictatoris, Tribunorum, vel Consulum, qui eodem anno Romae imperarunt: laudatis ubique Veterum testimoniis omnibus, quibus Archon ille vel solum memoratur, vel diserte quoque eidem anno olympico adscribitur.

Qualibet etiam Olympiade suis in locis exprimentur nomina illorum, qui in Olympicis, Pythiis, Isthmiis, ac Nemeis ludis victores fuerunt: laudatis ubique Pindari, Scholiastum, aliorumque testimoniis, ipsorumque plurimis oportune vel emendatis, vel illustratis.

Philosophorum, Mathematicorum, aliorumque illustrium virorum natalis annus, mors, resque ab illis praeclare gestae, memoratuque dignae singulis annis, quibus illae contigerunt, exponentur: atque praecipua Graecae, Atticaeque in primis, Historiae capita suis in locis, vel olympicis annis memorabuntur; adjectis semper, atque subinde illustratis Scriptorum testimoniis quibus aetas illa, vel epocha confirmatur.

Haec Fastorum series ab anno 3. Olymp. VI. perpetuo, constantique ordine ad annum 1. Olymp. CXXX. extendetur: deinde verò rariores Archontes illi, Philosophi, Olympionicae &c. qui temporibus pone sequentibus florere, suis quidem olympicis annis in margine adscriptis, sed interrupta tamen serie, memorabuntur.

Duplex in Operis sine Archontum, Olympionicarum &c. Catalogus attextetur; ut in primo quidem Archontum &c. nomina juxta annorum olympicorum seriem e regione dispositam exponentur: in secundo verò eadem nomina alphabetico ordine digerantur, adscriptis tamen hic etiam olympicis annis, quibus illi imperarunt, aut palmam in Ludis retulerunt.

Denique praeter Indices rerum memorabilium, atque Scriptorum, qui in universo Opere illustrati, sive correcti fuerint, adjungetur etiam Index, aut series *Populorum Atticae*, expresso Tribus nomine, ad quam ipsorum quilibet spectaverit: cum Atticae Populi tum in I., tum in II. quoque Fastorum Parte faepius memorari debuerint; simulque vera quorundam Populorum Tribus, quae hactenus incerta, vel ignorata fuerat, demonstrari.

Utraque Operis Pars praelo propediem committenda ea voluminis forma, characterum varietate, chartaeque genere excudetur, quorum omnium hic specimen exhibetur; simulque maxima nitoris, & elegantiae cura adhibebitur, ut universum Opus optime dispositum, castigatumque prodire possit. Tabulae quoque aeri incisae suis in locis oportune adjungentur, quibus vel Atheniensium Nummi nondum editi, vel alia id genus eruditae Antiquitatis κειμήλια exprimentur.

*Florentiae Kalendis Sextil. Anno 1743:*

... ..  
... ..  
... ..

... ..  
... ..  
... ..

... ..  
... ..  
... ..

... ..  
... ..  
... ..

... ..  
... ..  
... ..

... ..  
... ..  
... ..

...